

nem objecti primarii, et dantis primam specificationem, concedo; si exerceat munus objecti secundarii, et adjuncti, licet de se sufficiens es- set dare primam speciem, nego: tunc enim dat speciem accidentalem, quia per accidens adjungitur objecto primario, nec species quam constituit est prima; sed superveniens primæ, licet de se posset pri- mam dare.

XIX. Secundo colligitur quid di- cendum sit quando circumstantia dat speciem actui; an vere maneat circumstantia; an vero amittat ra- tionem circumstantiæ, et induat ra- tionem specificativam, seu ex parte specificæ differentiæ se tenentem. Et non est difficultas, an maneat cir- cumstantia comparata ad actum en- titative, et in esse naturæ. In hac enim comparatione non loquimur (ut jam supra admonuimus) cum respectu actus in esse naturæ totus ordo, et linea moralitas accidentaliter comparentur, etiam id quod quidditativum, et essentiale est in linea morali; sed intra ipsum ordi- nem, et genus moris distinguimus id quod essentiale, et specificativum est ab eo, quod accidentale, et hoc secundum vocatur circumstantia. Et tunc queritur, an quando præ- bet speciem moralem ipsa circumstantia, amittat, vel retineat ratio- nem circumstantiæ. Nam ex una parte videtur, quod retineat ratio- nem circumstantiæ, sicut quando quis dat eleemosynam propter vanam gloriam, et constituit illam eleemosynæ largitionem in specie vanitatis, adhuc manet illa vanitas in ratione finis operantis, et non operis, si quidem opus illud ex na- tura sua talem speciem vanitatis, et talem finem non postulat, sed quasi extrinsecum, et adjunctum habet; ergo ille finis adhuc manet in ratio- ne circumstantiæ, quia finis ope- rantis semper circumstantia est.

XX. Ex alia vero parte est contra omnem rationem, quod in ea linea, et ordine, in quo aliud est species, vel specificativum sit accidens, cum de ratione accidentis sit supponere substantiam, seu essentiam constitutam, et jam constitutæ supervenire, et superaddere; ergo im- plicat quod circumstantia maneat circumstantia, hoc est accidens in linea morali, et in eadem constitutæ speciem, quia sic supponeret essentiam constitutam cum superveniret illi tamquam accidens, et non supponeret, cum constitueret eam tamquam specificativa ratio. Et ita vi- demus quod in luxuria circumstantia personæ, verbi gratia esse uxori- tam, aut esse monialem, quia trans- fert actum in aliam speciem, verbi gratia adulterium, aut sacri- legium, non manet illa circumstantia in ratione circumstantiæ, et ac- cidentis, sed solum in ratione differ- entiæ specificæ. Et idem est cum furtum fit sacrilegium.

XXI. Respondetur tamen ex dictis, quod circumstantia aliquando ita dat speciem moralem, quod illa species est prima, et essentialis, et sic totaliter transit in conditionem objecti specificantis: aliquando dat speciem accidentalem, quia licet de se sufficientem rationem habeat ut dicat speciem ordinem, vel repugnantiam ad rationem, tamen quia invenit constitutam primam, et es- sentiale speciem, non dat illi, nisi supervenientem, et accidentalem. Unde D. Thomas aliquando fatetur circumstantiam dare speciem es- sentiale actui, ut cum dicit in hac quæstione xviii, articulo v ad quar- tum, quod circumstantia quandoque sumitur ut differentia essentialis objecti secundum quod ad ratio- nem comparatur, et tunc potest dare speciem actui. Aliquando autem do- cet circumstantiam dare speciem non determinativam per se speciei,

quæ est ex objecto, nec sub illa po- sitam, sed disparate se habentem, ut patet in eadem quæstione xviii, articulo vii, et articulo x ad tertium, ubi fatetur non esse inconve- niens, quod idem actus. moralis sit pluribus speciebus moris etiam disparatis. Certum est autem non posse speciem disparatam essentia- liter, et constitutive se habere ad alteram, sed accidentaliter, cum non contineatur sub illa nec in unum conspiret cum illa, sed adveniat spe- ciei constitutæ. Disparatae enim spe- cies sunt quæ unam non constituunt, sed in sua pluralitate remanent sine subordinatione unius ad aliam. Im- plicat autem (ut diximus, plures spe- cies esse alicui rei essentiales, de-bet ergo altera accidentalis es- se.

XXII. Dicimus ergo quod quando circumstantia ita transit in condi- tionem objecti, quod primam, et es- sentiale speciem præbet, non ma- net in ratione circumstantiæ in li- nea, et genere morali, quia in illo genere specificat: ergo non circum- stat. Unde qui dat eleemosynam propter vanam gloriam, jam non facit eleemosynam per modum mi- sericordiæ, cuius circumstantia sit vana gloria; sed facit illam largitionem ut materiam vanitatis, sicut qui facit convivium, aut ludum mag- ni sumptus propter solam ostenta- tionem, totum illud convivium, aut sumptus est materia vanitatis, et in sola specie vanæ gloriæ collocatur. Et eodem modo quando circumstan- tia se habet ut differentia subordi- nata superiori malitiæ contractæ a se, desinit esse circumstantia, et totum ponitur sub una adæquata, et integra specificatione constante ex illa malitia circumstantiæ per modum differentiæ, et ex superiori ra- tione malitiæ per modum generis, de quo tamen amplius dicemus dubio tertio. At vero quando circumstan-

tia non transit in conditionem objec- ti, ita ut det primam, et essentia- lem speciem, sed species illa quam dat est accidentalis respectu primæ, et superveniens ei, tunc manet in ratione circumstantiæ respectu pri- ma speciei, habere se tamen ut dif- ferentia essentialis, et specificativa respectu speciei accidentalis, quam constituit, sicut disaggregativum est circumstantia, et accidens respectu corporis, essentiale autem respectu albi, verbi gratia si quis mœchatur ut furetur, furtum est accidentalis species respectu mœchiæ, quam su- peraddit illi actui constituto in ra- tione mœchiæ, si quidem ex objecto immediato habet rationem, et spe- ciem mœchiæ; ex fine autem ope- rantis rationem furti. Et ideo manet in ratione circumstantiæ respectu mœchiæ, quia finis operantis cir- cumstantia est: sed tamen ad con- stituendam speciem furti essentia- liter se habet ipsa ratione furandi, et non ut circumstantia suimet.

XXIII. Unde patet solutio ad ra- tiones dubitandi. Ad primam dici- tur quod cum aliquis dat eleemosynam propter vanam gloriam, ille actus in esse morali totus est vani- tatis, sicut qui facit aliquem sumptu- um, aut structuram causa ostenta- tionis. Nec obstat, quod illa vanitas est finis operantis, quia non est pu- re, et solum finis operantis, sed etiam operis in esse morali, et tunc non est circumstantia, sed specificati- vum, quia est objectum, et non pure finis. Non repugnat autem, quod idem sit finis operis, et operantis, ut quando aliquis habet ipsum objectum actus pro fine saltem in- termedio, ut cum vult dare eleemo- synam propter ipsam eleemosynæ bonitatem. Nec refert, quod vanitas seu vana gloria sit extrinseca ipsi actui largiendi eleemosynam, licet enim sit extrinseca entitative, est tamen intrinseca moraliter, id est,

quatenus illam reddit vanam, quia inficit ipsam largitionem eleemosynæ taliter ut reddat illam materiam vanæ gloriae, et destruat exercitium proprie miserendi, et sic tam ratio objectiva, quam finalis, vanitas est.

Secundam rationem concedimus. In tertio vero dubio amplius explicabitur quomodo malitia ex objecto, et fine, aliisque circumstantiis subordinentur, aut coordinentur inter se, aut quomodo disparate se habent.

QUIBUS CASIBUS CIRCUMSTANTIA TRANSEAT IN CONDITIONEM OBJECTI, ET DET SPECIEM ESSENTIALEM.

XXIV. Ad hoc jam supra disputatione octava diximus in duobus casibus circumstantiam transire in conditionem objecti. Primus est, quando circumstantia mala advenit objecto ex sua specie bono, illudque inficit, et moraliter tranfert in suam malitiam mediante respectu ad se, et efficiendo quod illud objectum de se alias bonum ut deserviens malo fini, aut circumstantiæ. Hunc casum ponit D. Thomas in hac quæstione xviii, art. v ad quartum dicens: « Quod circumstantia quandoque sumitur ut differentia essentialis objecti secundum quod ad rationem comparatur, et tunc potest dare speciem actui morali. Et hoc oportet esse, quandocumque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam, non enim circumstantia faceret actum malum, nisi per hoc quod rationi repugnat. » Ubi advertere illam universalem quandocumque, sentit enim D. Thomas non dari casum quo transferatur actus de bono in malum, quin circumstantia transeat in conditionem objecti, ita quod det es-

sentiale speciem, seu differentiam.

XXV. Quando ergo actus bonus fit malus, non stat quod maneat bonus in specie sua, et malus ex circumstantia, quia sic non daret circumstantia speciem essentialem in genere moris, sed relinqueret illam, quæ est bona. Si autem destruit bonitatem illa circumstantia, quia dat essentialem speciem, et non potest esse duplex essentialis species, sed una tantum, consequens est quod non maneat simul bonus, et malus ille actus, sed essentialis bonitas destruatur; alias circumstantia illa non daret essentialem speciem malam, si non destrueret bonam. In opinione autem quæ tenet posse eundem actum moralem esse bonum ex objecto, et malum ex fine, vel circumstantia, non habet locum noster casus, quod circumstantia mala transeat in conditionem objecti, et det speciem essentialem; et primam, quia si compatitur circumstantia mala cum specie bona, nec destruit illam; ergo in tali actu non dat speciem essentialem, neque transit in conditionem objecti, nec verificatur D. Thomæ doctrina quod quandocumque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam dat speciem essentialem, quia stat bene transmutare de bonitate in malitiam retinendo speciem essentialem bonam, quia potest in ea sententia actus esse bonus ex specie, seu objecto, et malus ex fine, aut circumstantia.

XXVI. Secundus casus est quando circumstantia advenit actui indifferenti, tunc enim ille actus, qui est sua specie, seu objecto erat indifferens, redditur bonus, aut malus ratione finis, et circumstantiæ adjunctæ, et incipit habere speciem boni vel mali; illa ergo datur a circumstantia. Et sic debet admitti casus iste a D. Thoma, qui in articulo nono hujus quæstionis xviii, non agnos-

cit actum moralem in individuo indifferentem, nec quod taliter sit indifferens quod debeat ei ex sua specie quod sit indifferens, id est, quod permaneat in tali indifferencia, ut præcedenti quæstione late tractavimus.

XXVII. Ratio autem utriusque causæ eadem est, quia ut circumstantia det speciem essentialem, transatque in conditionem objecti, necesse est, quod det primam speciem non accessoriæ, et supervenientem, hæc enim semper est accidentalis respectu primæ. Solum autem in istis duobus casibus potest circumstantia dare primam speciem, et non solum accessoriæ, et supervenientem; ergo solum in istis duabus casibus potest dare speciem essentialem. Minor habet duas partes; prima, quod in his casibus circumstantia det primam speciem; secunda, quod non in aliis. Et quoad primam probatur, quia quando actus malus supervenit actui ex sua specie bono destruit illam bonitatem, quia simul non stat eundem actum esse bonum, et malum sufficit quod sit ex quocumque defectu; ergo si malitia circumstantiæ ita repugnat illi bonitati, quod eam destruit, et non compatitur simul cum illa, manifeste non requirit bonitatem illam dare primam speciem, quia si relinqueret dare illam, non destruet eam, neque expelleret ab actu. Si autem non relinquit dari primam speciem ab ipsa bonitate; ergo prima species est mala, et vitiata ab ipsa circumstantia; ergo transit in conditionem objecti, et dat speciem essentialem in illo casu. Similiter in secundo casu species indifferentiæ hoc ipso, quod exercetur, et ponitur in re, non stat quod maneat actus indifferens in specie sua, quia per bonitatem, aut malitiam supervenientem solvit species indifferentiæ, et ponitur actus ille in specie

boni, vel mali; ergo prima ejus species est boni, vel mali, si quidem quæ erat indifferentiæ destruitur; nec enim amplius manet ille actus indifferens in re, sed determinatus quoad bonum, vel malum. Hæc autem bonitas, vel malitia provenit a circumstantia, seu fine adjuncto; ergo in isto casu indifferentiæ transit circumstantia in conditionem objecti, et constituit primam speciem essentialem.

XXVIII. Quod autem in aliis casibus præter istos duos non transeat circumstantia in conditionem objecti, ita ut constitutæ primam, et essentialem speciem probatur, quia alii casus possunt esse, quod circumstantia bona adveniat actui, qui ex objecto est malus, vel adveniat circumstantia mala actui habenti malitiam ex objecto, vel circumstantia bona adveniat actui habenti bonitatem ex objecto. Nec possunt fingi alii casus præter istos. In primo, scilicet quando actus est ex objecto malus, sed circumstantia bona, non potest circumstantia in objectum transire, ita ut constitutæ speciem bonam, quia bona circumstantia non potest vincere malitiam ex objecto, et convertere illam in bonum, eo quod malum est ex quocumque defectu, bonum vero ex integra causa, unde concurrente defectu ex una parte, scilicet ex objecto, licet bonitas concurrat ex alia parte, id est, ex circumstantia, semper actus claudicat, et defectuosus manet, et sic non vincitur malitia illa a bonitate; ergo neque circumstantia bonitatis transit in speciem essentialem actus, quia ad hoc necesse erat tollere illam malitiam, et statuere speciem bonam. In secundo, et tertio casu jam circumstantia inventit speciem actus constitutam, et super illam cadit, et illi advenit, nempe mala circumstantia malo actui ex specie, et bona circumstantia

bono ex specie; ergo non possunt in conditionem objecti transire, et constituere speciem primam, et essentialē, si quidem supponunt constitutam, nec illam destruunt ut suam ponant tamquam essentialē, et primam.

XXIX. Sed inquires, quomodo circumstantia mala destruit bonitatem, quæ est ex objecto, ita ut ipsa vicem objecti habeat, verbi gratia, vana gloria respectu eleemosynæ, cum relinquit eam in sua intrinseca, et propria ratione misericordiæ, qua succurritur pauperi, nec intrinsece hanc naturam eleemosynæ mutet: quomodo ergo cum intrinsece maneat, reddit illam eleemosynam malam in ratione objecti.

XXX. Respondetur, hoc fieri per respectum, quem induit illa eleemosyna respectu illius vanæ gloriæ; accipitur enim ab isto operante tamquam materia ostentationis ista elargitio pecuniæ, quam largitur pauperi. Et hoc sufficit reddere malam illam materiam, quia vult illam ut deservientem malo fini. Præbere autem materiam malo fini, et ipsi deservire, malum est. Igitur respectus ille in materia eleemosynæ, scilicet facere illam materiam vanæ gloriæ, quod utique fit per respectum ordinantem illam in vanam gloriam, facit quod circumstantia illius finis, scilicet vanæ gloriæ, transeat in conditionem objecti, et vitiet ipsam materiam, seu objectum specificum, quatenus fit materia vanæ gloriæ, et accipit respectum ad ipsam tamquam materia deserviens ei.

XXXI. Unde quando dicitur, quod illa vana gloria manet extrinseca tali largitioni eleemosynæ, et sic non transit ipsa vana gloria in conditionem objecti, neque vitiat ipsam materiam, dicimus quod ipsa vana gloria manet extrinseca in se, et physice sumpta, sed manet intrin-

seca moraliter, quatenus respectus ad vanam gloriam intrinsece, et formaliter afficit illam materiam, terminative autem vana gloria, quæ terminat talem respectum. Non ponit autem in numero moraliter, et quoad specificationem respectus materiae, et terminus ejus, sed materia deserviens vanitati denominatur vana ex tali respectu sic terminata ad vanitatem, seu est vana participativa. Et sic induita tali respectu erga talem terminum se habente, redditur objectum actus, et specificat ipsum, atque adeo est objectum, et specificat ut vana participativa. Et hoc est vanam gloriam transire in conditionem objecti, scilicet materiam illam reddi vanam respective, et participativa a fine, sique ut vanam specificare. Et quia non ponunt in numero moraliter, et quoad specificationem vanitas, et materia ejus, dicitur totum illud esse objectum, id est, materia ut subest vanitati, et habere etiam rationem finis operantis, quia id quod dat materiae vanitatem intenditur ab operante ut finis, qui est etiam finis operis, id est, objectum, seu objecti rationem perficiens. Non manet autem misericordia formaliter, licet materialiter succurrat necessitat, quia ex intentione non fit ex amore, et beneficentia proximi, sed ex vanitate.

MALITIÆ DISTINCTÆ EX OBJECTO, ET CIRCUMSTANTIIS, QUANDO SINT SUBORDINATÆ, QUANDO DISPARATÆ?

XXXII. Tertio inquires: An quando in uno actu sunt diversæ malitiæ, una ex objecto, aliæ ex circumstantiis, una subordinetur alteri tamquam species generi: an disparate se habeant illæ species, et non sint subordinatim positæ. In hac

difficultate, in primis non potest esse dubium, quod circumstantia finis, qui tunc est circumstantia quando est finis operantis, et imperantis, tribuat actui imperato distinctam malitiæ ab ea quam haberet ex objecto proprio, et aliquando dat malitiæ non per se coordinatam malitiæ ipsius actus ex proprio objecto, sed accidentaliter illi annexam. Hoc manifestum est ex dictis supra disputatione octava tractando de bonitate, et malitia ex fine operantis, et quomodo finis se habeat ut circumstantia. Breviter autem nunc declaratur, quia finis non est circumstantia, nisi respectu actus imperati, quando hic supponitur habere speciem ex proprio objecto, non autem mutuari illam a fine taliter, quod ille finis transeat in conditionem objecti, quia si in conditionem objecti transiret, non maneret circumstantia. Unde ulterius sequitur, quod si ille actus imperatus est constitutus in sua specie ex objecto suo proprio, et ex fine imperante provenit illi malitia aliqua, illa non potest constituere cum actu imperato unam speciem, nec una malitia subordinari alteri, ut species generi.

XXXIII. Ratio est, quia finis est objectum actus imperantis, et malitia ejus ut circumstantia derivatur ad actum imperatum habentem suum proprium objectum a quo speciem sumit, isti autem actus sunt ita diversi inter se, quod non convenient in una ratione, et in una specie, sed unus se habet ut superior, et imperans respectu alterius ut inferioris, et imperati; ergo quælibet malitia dat speciem suo actui, finis quidem intentioni imperanti, proprium autem objectum actui imperato. Ergo si una ex ipsis communicatur alteri, non subordinatur illi ut species generi, ut constitutat speciem unam, sed ut inferioris imperatum superiori imperanti, et ut actus

actui, et ut species speciei; una ergo non se habet ad alteram, nisi accidentaliter, et ut inferius et superior in imperando, et movendo, non in prædicando. Quod vero non semper finis imperans sit per se conexus cum actu imperato, et consequenter nec malitia ex fine cum malitia ex objecto, constat manifeste, quod multoties ponitur finis alicui actui ex solo arbitrio voluntatis, et sine quo potest æque bene permanere species actus imperati; ergo istæ malitiæ non habent per se connexionem, ut patet si quis furetur propter homicidium, vel propter adulterium, qui sunt fines omnino extrinseci, et per accidens se habentes, si quidem sine illis potest actus furti, et tota ejus quidditas salvari, et reperiri; ergo non sunt per se connexæ illæ malitiæ. Unde multo minus istæ malitiæ possunt subordinari in prædicando sicut species generi, et in constituendo unam speciem.

XXXIV. De aliis vero circumstantiis non currit ista ratio, quæ de circumstantia finis, quia cum non sint circumstantiæ imperantes, non per se petunt distinctos actus, quorum malitiæ accidentaliter se communicent, sed possunt in eundem actum per se immediate concurrere. Unde magis habiles sunt ut possint conduceare ad variandam, vel constituendam unam speciem cum objecto, subordinari ad invicem in ipsa speciei constitutione: per se enim non petunt diversos actus, sicut circumstantia finis, quæ est imperans, sed ad eundem pertinent. Unde si ex ipsis sumatur, modificetur, vel varietur motivum operandi, non repugnat concurrere cum ratione objecti ad unam speciem constituerem.

XXXV. Et propter hæc in hac parte diversitas opinionum. Nam quidam tenent, quod quando istæ cir-